

- Foedera dissolvit, censumque subire negavit.  
 Hoc ubi jam primum Haganonem cognoverat exul,  
 120 Nocte fugam molitur, et ad dominum properavit.  
 Waltharius tamen ad pugnas praecesserat Hunos,  
 Et quocumque iret, mox prospera sunt comitata.  
 Ospirin elapsam Haganonem regia conjux  
 Attendens, domino suggestit talia dicta  
 125 'Provideat caveatque, precor, sollertia regis,  
 Ne vestri imperii labatur forte columna,  
 Hoc est, Waltharius vester discedat amicus,  
 In quo magna potestatis vis extitit Hunis,  
 Nam vereor, ne fors fugiens Haganonem imitetur.  
 130 Idcircoque meam perpendite nunc rationem,  
 Cum primum veniat, haec illi dicite verba  
 "Servitio in nostro magnos plerumque labores  
 Passus eras, ideoque scias, quod gratia nostra  
 Prae cunctis temet nimium dilexit amicis,  
 135 Quod volo plus factis te quam cognoscere dictis.  
 Elige de satrapis nuptam tibi Pannoniarum,  
 Et non pauperiem propriam perpendere cures.  
 Amplificabo quidem pariter te rure domique,  
 Nec quisquam, qui dat sponsam, post facta pudebit."  
 140 Quod si completis, illum stabilire potestis.'  
 Complacuit sermo regi, coepitque parari.  
 Waltharius venit, cui princeps talia pandit,  
 Uxorem suadens sibi ducere. sed tamen ipse,  
 Jam tum praemeditans, quod post compleverat actis,  
 145 Investiganti his suggestibus obvius inquit  
 'Vestra quidem pietas est quod modici famulatus  
 Causam conspicitis, sed quod mea sergia mentis

123 in Ospirin das letzte i radiert A. 128 huius B. C.  
 135 Nunc volo I. 138 ualde te B. I. 141 parare C. 145 His  
 instigandi B. instiganti I. 147 seruia B.